

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**[Geburtstagsgedicht für Karl Friedrich, Großherzog von
Baden]**

Malsch, Johann Caspar

[S.l.], [1739]

[urn:nbn:de:bsz:31-9927](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-9927)

10

Have,
HODIE,
 VIII ante Kal. Decembr.
 altera abhinc olympiade, Auspicata luce
 Piæ Cœciliæ,
 feliciter & bono publico,
Nate!
Salve,
 longe post ætatem nostram, regaliter atque auguste,
SERENISSIME PRINCEPS
AC DOMINE,
DOMINE
CAROLE FRIDERICE,
 cum Fratre concordissimo,
 Marchio Badensis & Hachbergensis, Land-
 gravie in Saufenberg, Comes in Sponheim & Eber-
 stein, Dynasta in Rötteln, Badenweiler, Lahr
 & Mahlberg &c.

Princeps Hæreditarie;
 oriens universæ patriæ Phœbiscæ, Oculæ principalis
 Familiæ, columen sospitatis,
 Fave Cupidinum & Gratiarum,
 Medulla Novensilum,
 Corculum Faventia,
 Pignus cœli faventis & donum;
 Verbo: spes piorum Civium!
Adolesce prosperiter,
 In laudes Majorum Tuorum!
Imitare lapidem Seleniten;
 Qui, Quantum splendoris capit ab auro,
 Tantundem refundit in aurum!
Exhibe seculo Tuo
 Mansuetudinem D. Patris,
 Sapientiam D. Avi,
 Liberalitatem D. Proavi,
 Fortitudinem D. Abavi,
 Patientiam D. Aravi,
 Pietatem D. Tritavi!
 I. c.

*Omnes Carolos & Fridericos, Auspicatissima Patriæ nomina, Inscripta eternitati
 Fama, & recondita in tabulario coelestis civitatis!*
*Ita have! ita salve! ita vale in seriem Natalium, quantam
 capit humana mortalitas! His omnibus ac votis,*
Undecimo Natali Tuo,
 Te salutat

Illustre D. Caroli Hefychenm,
 Interprete vororum suorum,
JO. CASPARE MALSCHIO.

[1739]



Nnua *Natalis* mecum celebrate *renati*
Tempora, Pierides, Pieridumque greges,
Quo primum nostras CAROLUS FRIDERICUS in oras
Prodiit, ut conchæ gemmeus orbe nitor,
Ante *decem* Phoebi duodena in signa recursus,
Cecilia nobis luce nitente piæ.

Hunc vacuum decet ire diem; decet oia musis
Parva dari nostris: undique cesset opus!
Lite vacent aures! vadimonia publica prætor
Differat in fastum, qui sequiturve, diem!
Iustitium indicat sapientum Curia patrum!
Et genio frenos exuat aula suo!
Hunc hilares colitote diem, Pueri atque Puellæ!
Marchiadæque viri, Marchiadesque nurus!
Hac etenim nobis nata est *nitidissima* lampas,
Quæ superet Phoeben luce, nitore diem:
Hac patriæ aureolum donavit *Amalia* partum,
Hac uteri posuit pondus *Herile* sui.
Huc ades o! nostris, *Friderice* venustule, sacris!
O oculus patriæ, *Thespiadum*que favus!
Illustri cujus posuisse videntur in ore
Et *Charites* nidum, *Gratia*que alma thorum!
Et facilis nostræ *munus levidense* *Thalia*
Aspice, quo vultu nostraque nosque capis!
Ipsa *Tibi* lota est; *Tibi* se lætissima comsit,
Staret ut ante *Tuos* culta decensque pedes.
Læva (viden?) myrtum; placidas tenet altera flammæ,
Quas populi pietas, nostra movetque fides.
Clauda quidem est; nihilo tamen illa decentius explet
Muneris hic partes officiumque sui:
Ac *Tibi* proci duo *Natalem* poplite supplex.
Undecimum festos advocat ante focos.
Candide *Natalis*, noctisque salubrior astris,
Sæpe petite piis, sæpe petende dies!
Huc gressus faciles! huc vultus verte nitentes!
Et melior semper, candidiorque redi!
Duc tecum *Charites*! *Tecum*, formose, lepores;
Et veniat nivea veste recincta *Salus*!
Fer sine nube dies! sine amaro murmure noctes!
Ac boreæ insani vis sedeatque *Noti*!

Sit

042 B 62, 5110 124
7

Sit grave falceri sidus procul! absit acerbi
 Martis! & in quinta Delia sede minans!
 Juppiter in sudo regat astra salubris olympos!
 Junctaque cum placido surgat Amore Venus!
 Omnia sint operata tibi! conspiret amicis
 Auspiciis æther ominibusque favens!
 Vicini montes, & tu, qui maximus horum es,
 Dicte sacro *Thori nomine*, (si qua fides,
 Si qua fides illis, quibus est pro teste vetustas;)

Altius elatum tolle, superbe, caput!
 Ecce Tuus *Princeps*, quanquam in puerilibus annis,
 Quale tibi tenero spondet in ore decus?
 Tu quoque, *Thorilacum*, quæ verè dicta putaris
 Principe ab antiquo, *Thorilacoque* truci,
 Qui quondam, Insubribus Gallisque in bella coactis,
 Romanas Aquilas terrueratque Padum;
 Exue lugubres habitus, vultusque serenos
 Indue, & in ciliis signa faventis habe!
 Festivisque tui Natalem Principis horam
 Plausibus hac celebra, qua pietate decet!
Hesychiæ Caroli, nobis male nuper adempti,
 Cujus adhuc cineres, ossaque sancta regis,
 A quo nomen habes; cujus te gratia fecit
 Vivere, & in famæ nomen habere tholo,
 Votivas Arabum libamina pone per aras!
 Thuraque in igne sonent! spica Cilissa foco!
 Prociduoque genu superum venerare parentem,
 Incolume ut nobis, perpetuumque suis
Hoc velit esse *caput*, justos ut iturus ad annos
 Rite regat patrii jura cateque soli!
 Vosque itidem reliqui, patriæ pia pectora, Cives,
 Quotquot habet gremio Marchia nostra suo,
 Respondete piis & sensu & voce rogatis;
 Vestraque cum nostra jungite vota prece!
 Ante alios omnes mecum sociate frequentes,
 O pia Gymnasii turba, cohorsque Clari,
 Qui nostro ductu, nostro sub pollice gnavi
 Surgitis ad sophias atque Heliconis opes,
 Spes patriæ, & soboles, mecum sociate frequentes
 Devotum vestræ religionis opus!
 Supplicibusque rogate precor pia numina votis
 Nec pudeat flexo procubuisse genu,
 Ut vobis superesse sinat pater ille Deorum
 Delicium patriæ suave, decusque piæ!
 Consortemque sacri Germanum sanguinis una
 Crescere, & in laudes gnaviter ire pares,
 Patria uti perstet, *duplici* fundara *columna*,
 Nostraque sit *gemino stipite* fulsa *salus*!
 Imo age; *Dulce caput*, *Genitoris imago beati*,
 Quem nobis in te vivere fingit amor,
 Nunc Juvenum Princeps, olim dicende virorum,
 Et, si vota valent nostra, future senum,
 Vive diu felix! adolesce per ampla Tuorum
 Facta, neque his olim deteriora geras!

Incide

Incipe jam tenero meditari fortia ab ungui!
 Nec, nisi quod dignum est teque tuisque, sequi.
 Maxima virtutum est Pietas; hæc inserit astris;
 Hanc sequere! hac sola præside tutus eris.
 Hæc facit, ut gladios inter securus & hostes
 (Bella tibi Mavors quando parabit) eas.
 Hæc facit, ut spernas fortunæ tela minacis,
 Et dicas: *animum non ferit ista eum.*
 Denique vel media vires tibi morte natanti
 Hæc dabit, ut forti sub pede fata teras.
 Hanc ubi servaris, animum excoluisse per artes
 Cura sit, & mores composuisse truces.
 Artibus ingenuis amor inducetur honesti,
 Et pudor in pravis, nequitiaque fuga.
 Non venit in mentes feritas inamabilis istas,
 Limpida doctrinæ quas bene lavit aqua.
 Unde precor, melius solii præcepta tuendi,
 Quæque throno natum scire necesse virum est,
 Et quo quemque modo fugiasve ferasve laborem,
 Unde precor disces pronius? unde magis?
 Præcipue studeas, ubi verum audire laboras,
 Scripta sepulcorum consuluisse virum,
 Ac veterum peragrarare libros; monimenta sopherum,
 Dictaque priscorum depopulare senum,
 Floriferisque ut apes iu saltibusque omnia libant,
 Congerere in proprium commoda quæque penum.
 Sic tibi contingant, quanti debentur, honores!
 Sic in cana tuum secula nomen cat!
 Sic pia sustineat patriæ moderamina pro Te
 MAGDALIS, AUGUSTO cum patruele, diu,
 Per quos cuncta regis, quorum sub nomine regnas,
 Et quibus auspiciam das, facilemque Deum!
 Sic habeas terras, Tibi quæ spondentur, avitas!
 Tardus ut ad superos perveniasque deos!
 Ac Tua Te pietas, sed sero, parentibus addat!
 Et cœlos adeas, qua præcere, via!

Finis adest operi! Jam jam cane, Musa, receptui!
 Haud decet hac longos cædere luce logos.
 Tu puer, huc ad me vini duo pocula pone!
 Pocula pro salvo principe bina bibam.
 Bina, puer, tantum! Vini est mihi parva facultas,
 Casat, & in fundo tinnit inane cadus.
 Quod si fortuna nobis meliore favente
 Contigerit major copia, plura feres;
 Ac simul ipse bibes. Nunc te siccum ire necesse est
 Ad cubitum, & lectum, nocte monente, tuum.

